

REM,,
12)

S PARTES DISTRIBUTA.

a nec egerent illorum custodia,
usque mites lenes et ingenio,
gi cui servis, civibusque cresce-
[rent...]
c essent omnibus damni periculo,
c ibi tristes vapularent horride,
sque horribilis vindicta in poste-
rum...
um tene exemplum, Magistri po-
[tius,
caritate ducit nos in patriam,
que duces omnes ad arbitrium...
vos quos diligo, valete, amiculi,
que semper orando este memo-
[res,
vos amanter in corde confero.
sed, pater, desunt, non invenio....
c unus equidem! Numerate me-
[lius.
st vicesimus cum quinto numero...
at nobiscum nuper in ordine...
derantur nunc... Volitarunt liberi!
e adsunt omnes, quaeritate atten-
[tius,
is sua namque adstitit vigilantia!
int! Erant precantes in sacrario;
quam quod prorsus accidebat
[antea....
E PUPERIS, paululum ante suos pro-
curimis abortis haec loquitur):
nunc tempus nobis lacrimabile,
nobis, Pater, valedicis ultimum...
isti tecum fuere labiles,
actorum omnium carissimi.
sed vultus sculptus in pectoribus
obiscum saeculis labentibus.
quis unquam te locutus dulcius?
numerum).
ngrediantur.

Dr. FORNARI, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Brescia, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gargagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lione, Luca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietraneli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Taragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; c) parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.*

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a) prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutentium subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; b) mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; d) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; e) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; g) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.*

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xylinâ structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

Premium annu
march. 10
FORNARI

DE " BO

Abhinc
nis immorta
revocavi, ci
et ipsam ru
principia que
ctisque, soci
ordinis sibi
redeo fonte
sclera trep
rum nomine
rum » secta
per Europam
minitatur.

Nihilista
que vero ea
scet, quam f
« socialismo
aut similibus
patae, inter
ctae, non am
tuum teneb
runt, sed p
prodeentes,
consilium cu
damenta co
versum orbe
vatis viribus
perficere om

A ROMANA

A)
LIBELL. 100.000.000

in propriis aedibus
S. Marcellio)

EXTERAS CIVITATES:

Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Garfagnana, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, ILANO, Mondovì, Monsampietraneli, Montalto, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Taranto in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

IONES ET NEGOTIA.

omine accipit: a) iuxta quotidianas ta facultate quotidie exigendi usque ad dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, usum sex; 4 1/2 %, si mensium duobus 3.60 %, cum facultate quotidie defensione b. 300. De maiore vero summa manseptem usque ad lib. 5000; ad dies

optiones compensat duarum personarum tres solvendas; idque pro omnibus stium ad formam, iuxta italicam legem ovincia requirentibus subvenit; c) in sub praesidio fundorum publicorum, rivatae; d) litteras emitit ex credito in maxima aguntur; e) exteris numeris in custodiam accipit, pro iisque at; g) res administrat tum consocia-

Nummariae sunt.

AE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

culi prandium, Milesiae ea facile agendis. – Singulae

novi flores. – Si teguia aureoque titulo, lib. 2,25.

Romam, Actiones drama-

ae, Milesia fabula. – Lib. 1.

atinis. – Lib. 1.

Ann. VI.

Romae, Idibus Iuniis MCMXIX

Fasc. VI.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

DE "BOLSCEVIKORUM,, FACTIONE

Abhinc menses quatuor in hisce paginis immortalem Leonis PP. XIII figuram revocavi, civilis societatis perturbationem et ipsam ruinam sapienter praesagientis, principiaque repetentis, quibus sartis tecisque, societas ipsa pacem in tranquillitate ordinis sibi comparare posset. Ad eundem redeo fontem hodie, dum factionis illius scelera trepidantes audimus, bolshevikorum nomine distinctae, quaeque « nihilistarum » sectae in Russica natione suffecta, per Europam omnem exundare turpiter minitatur.

Nihilistarum sectae suffectam dixi; quisque vero eadem forma eam facile recognoscet, quam factionum, quae sive ex puro « socialismo », sive ex « communismo » aut similibus barbaris nominibus nuncupatae, inter se foedere arctissime coniunctae, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium iamdiu quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuentes, quod iampridem iniverant consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, hodierno per universum orbem discrimine abutentes, renovatis viribus et quasi agmine facto, illud perficere omni ope admittuntur.

Nihil eae - ut verba ipsa summi illius Pontificis usurpem¹ - quod humanis divinisque legibus ad vitae incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt. Sublimioribus potestatibus, quibus, Apostolo monente, omnem animam decet esse subiectam, quaeque a Deo ius imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem. Naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram, dehonstant; eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permitunt. Praesentium tandem bonorum illecti cupiditate, ius proprietatis naturali lege sancitum impugnant; et per immane facinus, quum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt.

Atqui haec opinionum portenta, quae tum quum Leo scribat in eorum conventibus publicabantur, libellis persuadebant, spargebant in vulgus ephemeredum

¹ Encycl. Quod apostolici muneris, d. 28 mens. Decembr. 1878.

nube, iam, inquam, rem publicam amplectuntur effraena feritate, qua quisquis tantillo vix humanitatis praeditus horrificetur; eo cum publico atque luctuosissimo exitio, quod nisi oculis subiciatur, mente cogitatione quidem fingi licuerit.

**

Undenam vero haec? Profecto et ipsa ex venenatis iis doctrinis sequuntur, quae superioribus temporibus, tamquam vitiosa semina medios inter populos latissime sunt diffusae. « Probe enim nostis - ita Pontifex¹ - infensissimum bellum, quod in catholicam fidem inde a saeculo XVI a Novatoribus commotum est, et quam maxime in dies hic usque invaluit, eo tendere ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine subverso, solius rationis inventis, seu potius deliramentis, aditus patet. Eiusmodi error, qui perperam a ratione sibi nomen usurpat, quum excellendi appetentiam naturaliter homini insertam pelliciat et acuat, omnisque generis cupiditatibus laxet habenas, sponte sua non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervasit. Hinc, nova quadam impietate, ipsis vel ethnicis inaudita, respubicae constituta sunt nulla Dei et ordinis ab eo praestiti habita ratione: publicam auctoritatem nec principium, nec maiestatem, nec vim imperandi a Deo sumere dictatum est, sed potius a populi multitudine; quae ab omni divina sanctione solutam se aestimans, iis solummodo legibus subesse passa est, quas ipsa ad libitum tulisset. Supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis ac reieciatis, ipse humani generis Auctor ac Redemptor a studiorum universitatibus, lyceis et gymnasiis, atque ab omni publica humanae vitae consuetudine sensim et

paullatim exulare cogitur. Futurae tandem aeternaeque vitae poenis oblivioni traditis, felicitatis ardens desiderium intra temporis spatium est definitum... »

Hisce doctrinis longe lateque disseminatis, ac tanta cogitandi agendique licentia ubique parta, ecquid mirum quod infimae sortis homines, pauperculae domus vel officinae pertaes, in aedes et fortunas ditorum involare cupiant? Ecquid mirum, quod nulla iam publicae privataeque vitae tranquillitas consistat, et ad extremam perniciem humanum genus corruat, imo iam pene devenerit?

**

Quum igitur gravis et perniciossima haec pestis inde vim suam nanciscatur, quod lux aeternarum veritatum in mentibus hominum velut errorum tenebris obscuretur, et immutabiles morum regulae, quas christiana disciplina tradit, reiciantur, nunquam profecto compesci et sisti poterit, nisi in eorum qui decepti sunt animos supremae iusti honestique rationes revocentur. Haec quidem, caelesti gratia adiuvante, vim habent, ut corruptas mala libidine voluntates ad saniora consilia convertant, et tum singulos homines, tum populos ipsos ad officium colendum et ad virtutis semitam terendum adducant.¹

Adversus enim eos qui dictare non desinunt omnes homines esse inter se natura aequales, ideoque contendunt nec maiestati honorem ac reverentiam, nec legibus nisi forte ab ipsis ad placitum sancitis, obedientiam deberi, stat « Evangelica hominum aequalitas », quae eiusmodi est, ut « omnes eamdem naturam sortiti, ad eamdem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque ut uno eodemque fine omnibus praestito, singuli se-

¹ Ibid.

¹ Cfr. Leonis PP. XIII epistolam ad Archiep. Coloniensem. d. 24 mens. Febr 1880.

cundum eamdem legem iudicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi. Inaequalitas tamen iuris et potestatis ab ipso naturae Auctore dimanat, « ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur ». Principum autem et subditorum animi mutuis officiis ac iuribus, secundum catholicam doctrinam et praecepta, ita deviciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obediendi ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur ».¹

O Ierusalem, Ierusalem, convertere ad dominum Deum tuum!

ROMANUS.

¹ Encycl. *Quod apostolici munera.*

De veteri Christianorum lingua¹

Ex communi eruditorum sententia optimum sibi locum inter scriptores latinos illius aevi obtinet sanctus Ambrosius romanus, idemque Episcopus Mediolanensis. Insita enim ei erat in animo omnis Romanorum industria atque virtus; et propterea splendidam quandam dicendi rationem habet, qua propius ad Ciceronis amplitudinem atque magnificentiam accedere videtur. Eo admodum contendit, ut ipse esset veluti vox romani generis, Urbisque propria.

Et mea quidem sententia, quis distinctius, quis explicatus, quis abundantius atque illuminatus et verbis et rebus dicit, et in ipsa oratione numerum versumque conficit? Eius enim vox et benedicendi et beneficiandi magistra. Omnia apte ac congruenter dicit, et eius verba solemniter monent, ut omnia sint latine, ut plane, ut ornate. Quo facto ipse praeceptor vivendi recte atque dicendi, et ipse dicitur orator

verborum auctorisque rerum. In ipso insuper summa morum sanctitas, et in omnibus operibus pulchritudinis insignia ac luminaria apparent, et praeclera illa rerum mortalium scientia, unde prae ceteris Ambrosio tamquam elegantissimi itemque ornatissimi oratoris palma donetur.

Ipse complura volumina ac doctissima exaravit, dum multa manu gereret, apud se perforret, et quotidie pluries apud populum oraret, agresti adhuc animo ferum ac religioni infensissimum. Diu multumque adlaborat, et cetera, dummodo gentem suam erudit atque ad fidem excolat, tamquam supervacanea gravari solet. Ut de industri agriculta Vergilius scribit:

*Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis;
et Ambrosius summo studio Mediolanenses
ad religionem informare nititur. Quo facto,
non modo is est inter sanctos adnumerandus, sed uti longe nobilissimus scriptor sueae aetatis, atque egregius antiquitatis vindex est habendus.*

Haud ita multo post, en Leo, huiuscem nominis primus, qui, anno christiano quadragesimo et quadragesimo, Pontifex Maximus renuntiatus, ita officium suum gessit, ut, parem atroci animu aetati in promptu habens, ipse unus Galliam, Italiam et Romam, semel atque iterum a barbaris undique irruentibus, vindicaret. Quo facto eum Italicae dignitatis et incolumentis adserorem uno omnes ore historici profiteri consueverunt, cui, divino numine, licuerit, dies sacri Pontificatus benefactis computare in genus humanum collatis. Tanto viro, quem iure et citra adulationem *delicias generis humani* appellaveris, divinitus permisum est, ne Attila in Urbem omnia populaturus adgredieretur, prohibere. Namque, Attila, regionibus suis relictis, Italiam invasit, atque Aquileiam, obsidione captam, diripuit et incendit. Dum vero ardenti animo Romam

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis.

rapitur, et copias, ubi Mincius in Padum fluit, iam tranare parat, praeter omnium opinionem, occurrit ei Leo, dolore permotus tot malorum Italiae impendentium.

Actum erat de Roma, nisi vir unus hic exstisset, qui, divino veluti consilio excitatus, non armorum iam fortitudine, rem italicam pugnando tandem restitueret, non militum virtute numeroque exsultantes hostes retunderet, sed religione unice suffultus, opus audacter esset adgressus, cui nullum par exstare videtur.

Leo multa sancte, luculenter ac splendide scripsit. In eius scribendi ratione maxime laudatur mirabilis quidam sententiarum concursus, cum verborum elegantia, venustate ac robore. In suis operibus, grande quoddam dicendi genus usurpare consuevit, praesertim quum oret ad populum, quod eum, non modo Romanum, sed verum ac proprium Romanorum Pontificem ostendat. In eius praeterea sacris eloquiis linest romana illa maiestas, quae in Cicerone maxime splendescit, cum quadam rerum divinarum sublimitate, quae in oratore romano omnino desideratur.

**

Hactenus de latinis scriptoribus in Italia natis, qui Romanorum eloquium insigniter usurparunt. Ad Afros accedamus, qui summo studio atque nitore latine scribere consueverunt.

Multi sane numerantur, qui Christianorum linguam adepti, optimae notae scriptores passim habentur. Hieronymum, qui Maximus doctor iure appellatur, magnus Augustinus excipit. Ei quoque egregium in litteras latinas promeritum superest inter alios scriptores, quos Africa tulit. Ipsi tamen asperam quamdam naturam retinent, quam diurna veluti Romanorum servitute depressi, reluctantem sensim sine sensu deponere vix potuerunt. Nam domesticus ille sermo, quo Magonis libri fuerant conscripti, et cuius

reliquiae in Plauti *Paenulo* omnino comparent, pededentim in honorem apud illos redierat; plane ut punicam indolem latina oratio sub herili Caesarum dominatu induere videretur. Huius rei iuratissimum testem habemus Hipponensem Episcopum, qui tametsi benefica et prolixa caritate Romanos et Afros prosequeretur, sibi tamen nequivit temperare, quin Maximum Madaurensem carperet, quod locutiones eas audacter sprevisset, quibus fuerat a puero institutus.¹

Punici coloris originem attingere credidi, quo scriptores veteribus adhuc superstitionibus innutriti, versus et solutam orationem perspergebant. At de illa schola, tamquam, ut ita dicam, de fabulari equo prodiit strenua bellatorum manus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius; et super illis, ut aquila super omnibus volitat, Aurelius Augustinus, quem quoties intueor inter maximas molestiarum moles et foedissimis tempestatibus tot incredibilis sapientiae et industriae volumina elucubravat, et tamen instar pueruli conchas et umbilicos in littore legentis, mundanae famae securum, homuncionum me miseret saeculi mei, qui procerorum humeris se sustentant longius visuri; atque sine modo modestiaque efferuntur, si quid, pene dixerim, ultra primorem nasum detexerint.²

Quid praestiterit Tertullianus, eius praesertim *Apologeticus* et libri *contra Gentes* declarant, quibus cunctae sui temporis disciplinae continentur. Quum ei essent una voce universi terrarum populi mores et instituta perstringenda, *Romanitatem* illam in Pallio novare non dubitaverunt.

¹ E contra Asinii Pollio, acerbis scriptorum castigator aeyi sui, patavinitatem quamdam Livio exprobavit. Erant fortasse dictiones, quae patavinum loquendi genus redolerent.

² Dantes noster diceret: «Con la veduta lunga d'una spanna».

tavit.¹ Idem in rerum similitudines plus aequo effusus, cavillandi segetem fastidiosis deliquit.

Beatus Cyprianus a magistro discedit aliquantulum, atque more fontis purissimi, dulcis videtur incedere et placidus. Insurgit tamen identidem, et inter disputandum paullo commotiorem stylum usurpat. Mirus illius *de unitate fidei* liber, ubi quotquot a Pontifice maximo deficiunt, causa indicta, irreligionis damnantur. Decio et Valeriano imperatoribus martyrium fecit, patriam sanguine perfundens, quam eloquentia illustraverat.

Arnobium in praesens dimitto, neque de Augustino multa; quamvis enim nihil omnino quam parum de tanto viro dicendum putarem, attamen nonnulla vel obiter delibabo.

(*Ad proximum numerum*).
I. B. FRANCESIA.

¹ Ut moneret fidem christianam in nullam posse aliam formam commutari, *irreformabilem* nuncupavit; eadem forma usus licentia, qua Horatius Ulyxem *immersabilem*, Tiberim *uxorium*, felicissime audax fecit.

De Primatu S. Petri eiusque successorum apud Ioannem Chrysostomum

Adventante die solemní Principi Apostolorum sacra, absonum abs re non erit pauca recolere de illius Primatu in Ecclesiam universam, eoque magis quod de eiusmodi arguento opus egregium nuperime edidit Purpuratus Pater Nicolaus Marini, Secretarius S. Congregationis pro Ecclesia Orientali.¹

¹ Nicolo Card. MARINI, *Il Primato di S. Pietro e dei suoi successori in San Giovanni Crisostomo*. Roma, Tipografia Pontificia nell'Istituto Pio IX, 1. vol. in-8, xviii-320 pag., 1919.

Compertum est Ecclesias Orientales ideo ab unitatis centro defecisse, quia illum iurisdictionis primatum agnoscere renuerunt, quem ab initio in totam Ecclesiam Romani Pontifices exercuere.

Quapropter, ut unio, quam vehementer exoptat Benedictus PP. XV,¹ efficaciter promoveatur, ostendendum erit ex ipsis Orientalium doctoribus Christum et reapse Petro contulisse universalem iurisdictionis primatum, et illius transmissionem voluisse in ipsos Petri successores, et hos esse Romanos Pontifices. Quum autem S. Ioannes Chrysostomus sit omnium Orientalium Ecclesiarum iubar et oraculum, cuius effata omnium ore celebrantur, opportunum quam maxime erat totam illius doctrinam de primatu in unum colligere et simul factis confirmare et illustrare. Hinc duplex pars in recenti opere eminentissimi scriptoris; primaque exhibet disertissima testimonia, quibus eximius Patriarcha primatum iurisdictionis in Ecclesiam luculenter docet et vehementer inculcat; altera autem doctrinam factis effert, quorum duo sunt speciatim attendenda, cessatio nempe schismatis Antiocheni, et appellatio ad Innocentium Papam ab iniqua sententia Concilii *ad Quercum*.²

Id sane Auctori dandum est laudi, quod et multa eruditione et sagaci intellectus acumine argumentorum vim ostendat et difficultates fieri solitas aut praeoccupet aut late exponat et solvat.

Inter innumera quae citanda forent, illa videntur praestare, quibus evolvitur doctrina Chrysostomi de *confessione* Petri, vel quibus pulchre et nervose exponuntur verba S. Doctoris: «Cur sanguinem fudit? Ut has emeret oves, quas Petro et suc-

¹ Cfr. *Allocut. Consist.* SS^{mi} D. N. BENEDICTI PP. XV, 10 Mart. MCMXIX, *Act. Apost. Sedis*, vol. XI, p. 98 sqq.

² Ambe epistolae quas scripsit Chrysostomus ad Innocentium Papam referuntur in extenso, graece et latine, p. 316-320.

soribus tradidit»; ¹ et ista de sepulchro Petri in regia urbe Roma: «Locum autem, qui corpus illud occisum (Christi) recepit, licet admodum parvus et angustus, innumeris regum aulis venerabilior ipsisque regibus pretiosior: *Et erit requies eius honor.* Quodque mirabile dictu est, id non ipsi tantum, sed etiam discipulis eius contigit; nam qui vi ducebantur et circumagebantur, contempti, vinci, innumeris malis conficti, post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt. Id quomodo fiat perpende: in regia urbe Roma, missis aliis omnibus, ad sepulchra piscatoris et tentorum opificis accurrunt Imperatores, consules, exercituum duces». ² «Ideoque hinc clarior est civitas quam aliis omnibus; ac quemodmodum corpus magnum et robustum duos illa Urbs habet oculos splendentes, horum videlicet sanctorum corpora. Non ita splendet caelum, quum radios sol emitteat, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapitur Paulus, hinc Petrus... Propterea Urbem admiror, non propter auri copiam, vel propter columnas aliumque fastum, sed propter has Ecclesiae columnas». ³

Quod etiam in aprico maxime ponit Purpuratus Pater quodque est omni laude ornandum, est discrimen inter «munus apostolatus et officium primatus». ⁴ Unde allatis diversis textibus sive Chrysostomi sive aliorum Patrum, optimo iure concludit Paulum esse Petro aequalem in officio et dignitate apostolica, non autem in primatu iurisdictionis. Cur vero in antiquis picturis vel etiam in bullis summorum Pontificum ponatur Petrus in sinistra parte, Paulus autem in parte dextra, perspicue explicat eminentissimus prin-

¹ *De Sacerdotio*, lib. II, *P. G.*, XLVIII, 632.

² *Contra Iudeos et Gentiles*, 9, *P. G.*, XLVIII, 825.

³ *In epist. ad Rom. homil.* XXXII, 2; *P. G.*, LX, 678.

⁴ Pag. 118 sqq.

ceps, cuius placita mentem plene quietant. ¹ Legantur oportet quae disserit de fundamentali Ecclesiae constitutione iuxta Chrysostomum, et ea quibus demonstrat conceptum illum non esse Chrysostomo proprium, sed fuisse celebrioribus Patribus Orientalibus communem ante Photii tempora.

Sicut autem «lex supplicandi est lex credendi», ita fidem de Primatu confirmat Liturgia Orientalis atque mirum in modum illustrat; quod quidem amplissimis et pulcherrimis testimoniis evincit Auctor.

Inde efficitur opus illud maximae esse opportunitatis, quum iam omnes illam summam pacem appetant, quae, teste Augustino, est tranquillitas ordinis, ² quaeque tandem obtinebitur dum fiet unum ovile et unus Pastor. ³

Hac igitur lectione praeparabuntur mentes ad festum illius celebrandum, de quo scribit Chrysostomus: «Petrus chori illius *coriphaeus*, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius *praefectus, fundamentum Ecclesiae*. ⁴

EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ Pagg. 130-137. Cfr. autem LEONIS ALLATII, *De Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis perpetua conscientia*, lib. VI, § 7.

² S. AUGUSTIN., *De Civitate Dei*, lib. XIX, c. XIII, *P. L.*, XL, 640.

³ IOAN, X, 16. Cfr. opus nostrum: *L'ors de l'Eglise point de salut*. Paris, Téqui.

⁴ S. CRYST., *In illud: «Hoc scilicet»*, 4; *P. G.*, LIV, 275.

AESTHETICAE NOTAE

De delectatione, quae ex pulchro oritur.

Si quis quae siverit qualis praebeatur pulchritudinis effectus, facile erit responsum: delectatio. Pulchrum enim rationem quoque causae efficientis habet, ideoque in

subjecto contemplante delicias gignit, per quas pulchra dicuntur, quae visu placent.

De huiusmodi delectationis natura summatim hodie dicere placuit.

Atqui triplici ratione considerari potest delectatio: vel enim est sensuum grata affectio, et appellatur «sensibilis»; vel grata affectio est aut intellectus aut voluntatis, et dicitur «spiritualis»; vel tum sensitivam tum spiritualem facultatem iucunde afficit, et «mixta» nuncupatur.

Animadvertisendum vero imprimis est delectationem ex re pulchra haud esse memram sensuum voluptatem: sensus enim nequeunt rei integritatem, partium consonantiam, formaeque claritatem percipere et contemplari; ideoque oblectari nequeunt circa res pulchras «formaliter» inspectas. Sensum, e contra, delectatio, circa obiecta sibi consentanea, praesertim circa pulchri sensibilis materiales qualitates, habenda quodammodo est initium, via, medium ad veram pulchritudinis delectationem percipiendam. Delectatio enim pulchri propria est spiritualis, atque directe ac primo ad facultatem contemplativam spectat; indirecte, ac deinceps, ad facultatem volitivam. Quum autem ea a sensibus incipiat et in sensum ut plurimum redundet, iure «mixta» appellari potest.

* *

Sunt vero qui putent delectationem, de qua est sermo, ad voluntatem pertinere, potius quam ad vim contemplativam intellectus, ita arguentes: de ratione delectationis est quod appetitus gaudeat in fruitione obiecti sibi convenientis, seu boni; ergo delectatio ex re pulchra ad voluntatem spectat.

Verum, ut statim difficultas evanescat omnisque aequivocatio tollatur, satis est perpendere spiritualem delectationem esse duplcem; «admiracionis» alteram, alteram «possessionis». Prima est quies et

oblectatio, quam in contemplatione intellectus experitur quum rem pulchram contemplatur; altera vero quies est et fruitio voluntatis in re bona assequenda. Praeterea quia bonum et pulchrum differunt, differunt etiam eorumdem effectus. Igitur de natura delectationis id est, ut quiescat et congaudeat sive intelligentia, sive voluntas seorsim, sive utraque facultas.

Inde quae sequuntur corollaria facile promanan:

I. - Pulchrum, indeque orta delectatio, imprimis ac directe ad intellectum pertinet, cuius est peculiares obiectorum proprietates contemplari, quae pulchritudinis rationem constituant.

II. - Delectatio ex pulchritudine orta a vulgari et communi illa quiete ac satisfactione distat, quam in simplici rerum cognitione, seu in veritate mens sibi comparat.

III. - Quia ceterae animi qualitates intellectui famulantur, delectatio secundo afficit ipsam voluntatem, quae tamquam ex naturali principio mentalem operationem sequitur.

IV. - Huiusmodi delectatio a delectatione semper distinguitur, quam proprius capit voluntas ex re bona, utili, conduibili; pulchrum enim «propter seipsum» laudatur, non propter aliquod emolumen- tum. Pulchrum scilicet non amore concupiscentiae, sed benevolentiae amabile est; nempe non ut appetitui contemplantis, sed ut sibi conveniens est, spectatur. Quamquam nihil prohibet quominus pulchrum utilitatis rationem contineat, atque ideo, ut bonum, directe, concupiscentiae amore, a voluntate appetatur.

* *

Quae denique res vehementer magis contemplantem delectant? Profecto quae integræ, congruentes, clarae exhibeantur;

idque ex ratione duplici: altera, quod intellectus, non aliter ac facultas quaelibet, obiectum diligit ad quod ordinatur sibi « simile »,¹ ut proportionis ordo inter correlativa servetur. Re quidem vera in humano intellectu et integritas naturae, et debita inter partes potentiales proportio, et lumen manifestans inveniuntur.² Quo magis igitur res ad has proprietates accedunt, vel ab iisdem recedunt, eo magis, vel minus, homini placent.

Altera, eaque sublimior, ratio inde repetenda est, quod omnium Conditor, Deus, ita hominem comparavit, ut in terris per suas facultates ad contemplandam summam « Entitatem », perfectam in varietate Unitatem, lucemque clarissimam continenter adspiret, adspirando laetetur. Hinc res, quotquot in orbe terrarum exstant, Deus condidit tamquam vestigia, simulacra, monumenta infinitae pulchritudinis sua, per quas, veluti per gradus, homo in ipsum « Pulchrum absolutum » adscenderet. Modo facultas intellectiva, humanarum facultatum nobilissima, quo ampliores in rebus divinae pulchritudinis obumbrationes reperit, eo magis sponte delectatur, utpote « primo Pulcro » vicinior, fonti ac fini omnis pulchritudinis.³

G. LEPORE.

¹ S. AUGUSTINUS, *De mus.* lib. VI, c. 13; S. THOM., *Sum. Theol.* p. I, q. 5, a 4 ad 1.

² Ad tertium dicendum quod pulchritudo, sicut supra dictum est, consistit in quadam claritate et debita proportione. Utrumque autem horum radicaliter in ratione inventitur, ad quam pertinet et lumen manifestans et proportionem debitam in aliis ordinare ». (S. THOM., *Sum. Theol.* 2^a 2^o, q. 180, a. 2).

³ Cfr. S. AUGUSTIN., *De Vera Relig.*, n. 58 et seq. — Quo in loco S. Doctor aperte docet animum humanum ad summam aequalitatem et unitatem, nempe ad Deum, semper tendere, atque ideo conquiescere et oblectari ubicunque aliqua illius aequalitatis et unitatis obumbratio inveniatur. Ex hac autem verissima sententia concludi nequit, puto, Augustinum docuisse ultimam et formalem pulchri rationem in unitate consistere.

EX BATAVIA

**Exitus certaminis poëtici an. MCMXVIII,
et prospectus novi certaminis ab Aca-
demia Regia disciplinarum Nederlan-
dica ex legato Hoeufftiano in curren-
tem annum indicti.**

Accepimus, et libenter edimus:

« Exitus certaminis poëtici ex legato Hoeufftiano in superiore annum indicti, fuit prouti sequitur.

Quatuor carmina ad certamen admitti non potuerunt, utpote quae iusto serius ad nos essent perlata. Eorum tituli hi erant: 1. *Volsinii urbis veteris aedes Cathedralis.* — 2. *Pus vaccinum.* — 3. *Maternus amor.* — 4. *Monstrum horrendum, informe, in-
gens.*

De ceteris, XXXV numero, sic est pronuntiatum: Unum (c. t. *Psalmus L*) admitti non potuit quia e duobus constabat carminibus, quorum neutrum iustum L versuum implebat numerum.

Undecim carmina statim sunt seposita, quae luce publica digna non videbantur: Eorum erant tituli: 1. *Sub prima luce.* — 2. *Egregius Victor.* — 3. *Aranea et nati.* — 4. *Expectantes Dei iudicium.* — 5. *Et nunc, reges, intelligite.* — 6. *Post bellum Euro-
paeum.* — 7. *Saltus Caprearum.* — 8. *Poëta miles.* — 9. *De Baccho inimico.* — 10. *Cornix in Capitolio locuta.* — 11. *Tristia.*

Post breviorem longioreme dubitationem haec quoque XVIII non recipienda visa sunt in volumen sumptibus legati edendum:

1. *Ad quendam sodalem epistolium.* —
2. *Ad Marcum epistola.* — 3. *In simiae amatores.* — 4. *Imago matris.* — 5. *Incendium.* — 6. *Fiat pax.* — 7. *Super invasione Belgii.* — 8. *Pro pace exoptata.* — 9. *Incurcio Helles-
pontiaca.* — 10. *Colloquia Elysea.* — 11. *Sep-
tuagenarii meditationes.* — 12. *In coenobii reliquias.* — 13. *Margaritae Edesiae Martyrium.* — 14. *In obitum matris dilectis-
simae.* — 15. *Funera.* — 16. *Iesum puerum
Maria queritans.* — 17. *Ruth.* — 18. *Iulus
Sabinus et Eponina.*

Restant quinque carmina egregia, ve-
rorum poëtarum vera poëmata. Ea ita hīc
enumerantur (quemadmodum et in aliis
carminibus factum est), ut adscendatur ad
optimum: 1. *Epistola senis ad iuvenem.* —
2. *Lygdu ad matrem.* — 3. *Pax natalicia.* —
4. *Mundi Creator.* — 5. *Vercingetorix.*

Horum carmini c. t. *Vercingetorix* —
(poëtam eius esse Iosephum Albini Bononiensem aperta scidula apparuit) — praemium aureum est adiudicatum. Praeterea sumptibus legati hoc ordine post illud in volumen recipientur haec carmina, si poëtae eorum scidularum aperiendarum ante kalendas Iulias dederint veniam: 1. *Mundi Creator.* — 2. *Pax natalicia.* — 3. *Lygdu ad matrem.* — 4. *Epistola senis ad iuvenem.*

Ad novum certamen cives et peregrini
invitantur his legibus, ut carmina Latina
non ex alio sermone versa nec prius edita,
argumentive privati nec quinquaginta ver-
sibus breviora nitide et ignota iudicibus
manu scripta sumptu suo ante kal. Ian.
an. MCXMX mittant ad: *Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribingendo portabile prelum Britannicum (*type-writer*) adhibuerint, et si, quemadmodum in editionibus antiquorum poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus
quadringtonitorum florenorum. Carmen
praemio ornatum sumptibus ex legato fa-
ciendis typis describetur, eique subiungen-
tur alia laude ornata, quando scidulae aperi-
rianda venia dabitur. Id autem ante Kal.
Iulias proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis
mense Aprili pronuntiabitur; quo facto
scidulae carminibus non probatis additae
Vulcano tradentur.

Amstelodami, die xiv m. Aprilis, a. MCMXIX.

C. SNOUCK HURGRONJE
Ord. lit. Acad. Reg. Nederl. praeses.

EPISTOLA SENIS AD IUVENEM

Carmen FRANCISCI XAV. REUSS, in certamine
poetico Hoeufftiano a. MCMXVIII magna laude or-
natum.

Iunior fui, etenim senui.
(*Psalm. XXVI, 25.*)

*Me tua, Fauste, senem iuvenilis epistola iuvit;
iuvit, uti speculo redditum forma nitens.
Laetor de valida, qua gaudes ipse, salute;
adstet Hygea tibi semper amica comes!
Gratulor et Motum, quem tu praestare videris,
Perpetuum, cursor nocte dieque vigil.*

*Ergo, vere novo, pro more inscende frementem,
nec tamen indocilem, rector et actor equum.*

*Ungula cornipedis spatium voret, atque frequentes
ictu scintillas quadrupedante ciat;
seu matutino cupias humescere rore,
seu recreare animum sole sub occiduo.*

*Perge, per aestates, Alpinos scandere montes,
ferrato nixus stipe roboreo.*

*Illic fulgorem propioris suspice solis
et liquidum caeli caeruleumque decus;
ebibe vitalem plenis pulmonibus auram,
urbicus unde vapor pestis et omnis abest;
qua nec vox irata strepit, nec bellica clangunt
aera, nec humano terra cruento madet.*

*Perge, sub autumno, celeres lepores et obesos,
venando, turdos vespre ferre domum.*

*Setosum tandem, plumbo graviore petitum,
mensibus hibernis sterne animosus aprum.*

*Fas erit et iuvenum nocturnos visere coetus,
qua, dum iucundo fervet ab igne focus,
festivus sermo miscetur, honestus et una,
aut etiam cantu suaviter aula sonat.*

*Haec tua gesta mihi, carissime Fauste, probantur,
officiis reliquis si nihil obfuerint;
si vir, si civis virtutem pronus in omnem
vixeris, et peius duxeris angue nefas.*

*Falleris at prorsus (sine, verbis utar apertis)
morosum cum me rere pigrumque senem.*

*Quam fugi iuvenis, nunc et proiectior annis
horreo desidiam; tempora nulla tero.*

*Vix aurora micat, cum surgens, poplite flexo,
praesentem veneror munificumque Deum,
auspice quo nitor vitam traducere, qualis
legifer ille iubet, meque decere scio.*

*Aggregdior certo mox ordine pensa diurna,
quae, ne sint oneri, sat variata volo.
Biblia sacra, Dei calamo conscripta manuque,
primum delibo, lecta relecta pie.
Exaudire mihi videor, delapsa superne,
verba, quibus dico quae sit ad astra via.
Haec, meditata diu memori sub corde recondo,
ac normam statuo moribus usque meis.
Interea caelum proprius mihi sentio, quam tu
sentis, Allobrogum culmina summa terens;
tantus et exornat candor caeleste Volumen,
sordes ut puram dixeris esse nivem.*

*Codice de sacro multi scripsere; nec ullum
sperno, etsi veterum me magis urget amor.
Augustinus in his, Hieronymus Ambrosiusque,
Gallica lux Hilarus, lux et Etrusca Leo;¹
et graecos inter, Chrysostomus ...; omnia sed quis
priscorum numeret nomina clara Patrum?
Percurrat citius, qua late panditur, orbem,
quam, quos nostra capit bibliotheca, tomos.*

*Raptus equo tu, Fauste, nequis me vincere cursu
historicos orsum pervolitare libros.
Miles Alexandri, potior nunc Perside; iamque
Agricolae socius, regna Britanna peto.
Caesare mox Rhodanum duce trano; aut signa secutus
Pompeii, cladem defleo Thessalicam,
Bella hodierna simul, pervolvens acta diurna,
prosequor assiduus testis, itemque dolens.
Pervagor Europen Asiamque; sed heu! quid cerno?
Vastatos agros, diruta tecta, neces,
humano rivos pontumque cruore rubentes,
dira vel in caelo praelia stellifero!
Atro quo visu vix non enectus, adire
cultores propero, Musa latina, tuos:
Virgilium dico, Flaccum tenerumque Tibullum,
quodque exsul Naso flebile scripsit opus;
nec te Christiadum praclarum lumen omitto,
Prudenti; nec te, Pascole, laurigerum.*

*Ampla seges mihi, Fauste, libris enascitur, et quae
horreolum mentis divite messe replet.
Nec, quam tu praedam venator nocte reportas,
fructu permute, quem mihi lecta ferunt.
Instruit inde sibi mens mensam, suaviter unde,
codicibus positis, pascitur ipsa memor;
hinc pariter laute pascuntur quotquot amici
visere me cupiunt, sole cadente, senem.*

*Hos ego consiliis, si quid proponitur anceps,
(dulci commiscens utile) sponte iuvō;
nec recreare moror redeuntes ad sua tecta
pocillo veteris purpureique meri.*

*Sortem, Fauste, parem tibi servo; desine tantum
dicere morosum me residemque senem.
Sed satis haec; tibi Nestoreos nunc ominor annos
et, quaecunque velis, gaudia sana. Vale.*

EX ITALIS URBIBUS

Actuosa Taurinensium vita.¹

Ibam forte mox hac via, et ego, ut olim Horatius, nescio quid nugarum cogitans, quum e longe amicus quidam me compellavit dicens: Visne eamus? - Quo? - Ad hanc officinam. - Quidni? Eamus, ut dicis.

Hisce breviter datis acceptisque verbis, me manibus ultro impulit.

Aliquantisper iter ingressus, ad partem dexteram, adest magna opificum officina, quae secus viam constructa humilibusque moeniis, parvam fiduciam tibi dare videtur. At quam apte illud est dicendum: « Prima frons decipit multos! ».

Ingredere mecum, mi lector, si lubet, atque eamus ad eam commode ac curiosius invisendum. Herus ipse, qui in limine stat, nobis oculis innuit benevolis fas esse, si placet, ingredi. Hic, quem habitu negligo nimis pauperculum autumas, est e contra divitiis affluens, et tubulo tabaci fumum lentissime hauriens, ibi in aeternum stat, omnia mente dirigens, clientesque exspectat, cum quibus negotia multa perspicue pertractat. Quis credat?...

Observa quantam vim rerum optimarum humana mens obtinet.

Hinc enim divitiae beatioribus hominibus exeunt; hinc quoque, - proh pudor! -

¹ I. e. HILARIUS PICTAVIENSIS et LEO MAGNUS.

et opificum miseriae. Optime novisti quam inconsulte nostrae aetatis opifices malesuadi, nimiis facilibusque quaestibus inservientes, immensa manuum lucra in esum vinumque perperam profundunt.

Ita officina, quae prima obvia est nobis, magnum subito rerum indicium exhibet. Qui machinarum strepitus ad aures pervenit! Aptissime dixeris: « Tunc ferri rigor atque arguta lamina serrae! ».

Hinc inde operi complures maximo animo incumbunt. Adecurrunt atque exeunt recentiora atque oblongiora vehicula, quae ab inventoris nomine *Tamagnone* vocantur; axes ad laborandum ferentia, labiorose strepitant; alii trabes simul congregendos deferunt; alii ad serram electrice actam integros arbores admovent, qui uno eodemque temporis momento ad asseres minutissimos redigunt.

Innumera sunt opera, quae ex hominum ingenio, paucis post annis, mirum in modum proficiscuntur, et omni artificio confecta. Haud, ut olim, magna hominum multitudine et viribus coniunctis variisque periculis subiecti, operibus animum impellant, et certatim opifices « inter se se magna vi brachia tollunt ». Sed in praesentiarum, facillime parvaque manubrii cuiusdam arte atque instrumento, cui est nomen a grue, ob suam formam, ingentia pondera in aërem ferunt et commode locant.

Sunt et ligna ad magnarum navium constructionem assignata, quae vi flammarum absconditarum compressa, nullo prorsus labore in circulum propemodum flectuntur. Altera ex parte novoque artificio, nec sine, ut ita dicam, caelesti aliquo mentis instictu, arbores cernis « duritiem lapidum mersis insolescere ramis ». Opifices vero, in tanta rerum hominumque conversione alii aliis rebus unice addicti, tacite congruerterque in opus incumbunt. Alii propterea serras electrice movent alii arbores secant, alii denique asseres

ad operandum alio traducunt. Quot asserum pyramides, quae, uno modo die dispositae, in crastinum alio ferentur!


Haec omnia, mira sane sapientia, unus ille dirigit, providet atque accommodat, qui ingenii celerritate praeditus ac pertinacia, humili loco natus, rapidissime rerumque fortuna inter omnium ditissimos arreptus, pater opificum itemque patronus salutatur, atque, laudabili sollertia, diceret Hennius noster, inter suos

*semper errat, neque pati, neque perpeti potest,
cupere nunquam desint ...*

Optimam hic sibi manu finxit fortunam, eamque rebus in secundis aequalem laudabiliter obtinet, et, quod omnem superat opinionem, ea largissime fruitur.

Si tibi lubeat, et forte tempus sufficit, alias in partem nobis prospicientem ibimus, ubi novam rerum seriem videbis, mirabilemque progressum.

SUBALPINUS.



COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio.

Morbi - Medicamenta.¹

Quis te habet (tenet) morbus? - Quo morbo teneris? - Quid morbi est? - Quod mali genus est? - Quid habes morbi? - Unde istum morbum contraxisti?

Resp. - *Febris* [synocha,² periodica, amphemerina,³ ephemera (diaria), tertiana (tritaea), quartana (tetartaea), recidiva, quercea (querquera)].⁴ - *Paroxysmus*.⁵ - Proclivis ad febrim sum.

¹ Cfr. fasc. mensis Aprilis.

² Febris continua, sanguine abundans sine intermissione.

³ Febris accedens singulis diebus cum intermissione.

⁴ Cum frigido ac tremore.

⁵ Accessus et impetus saeviens febris.

Febri labore (iactor, afflictor). - In febri-
culam incidi. - Febribus corripior (tentor).
- Lentis febribus detineo. - Incommoda
valetudine emersit febris. - In quartanam
conversa est vis morbi. - Febris accessit.
- Febris per accessiones increvit. - Febris,
quae pares accessiones habet. - Febris,
quae assidue inhaeret.
Febris, quae per discessiones mollitur.
- Febris quae circuitum habere solita fi-
nitur.

Febris desinit (levatur, se inclinat, de-
cessit). - Febris iam sine horrore est (ca-
ruit). - Febris ex toto quievit (evasit). -
A febri sum iam relictus (liberatus).

Pulsum venarum attingas (venas tan-
gas); ex diastole¹ ac systole cognosces an-
febris me occupet.

Saliunt tentato pollice venae. - Venae
fugiunt (concidunt).

Morbus tabificus (corrumpens) me
adortus est:

Febricula.

Influentia.

Cholera (Indica lues, Fellifluua passio). -
Pestis (Pestilentia, Contagium, Tabes).

Dysenteria (Alvi profluivum, Diar-
rhaea).

Diphtherites.

Tussis asinina (canina, Hypertussis).

Meningite.

Morbili.² - Vari. - Varicellae - Vario-
lae³ - Echymata.⁴ - Carbunculus (Carbo,
Pustula malefica).

Integritatem valetudinis (Firmam cor-
poris constitutionem, Firmam corporis af-

¹ Motus cordis cum dilatatur; systole, quum con-
trahitur.

² Pustulae in summa cute puerorum rubrae.

³ Variolae sunt a materia crassiore; morbili a
tenuiore (MANARDI, *Epist. medicae*).

⁴ Hoc vocabulo vulgo indicantur eruptiones, pu-
stulae in summa cute albae, in ambitu rubrae, pre-
sertim in facie manue.

fectionem, Corporis temperationem) morbi
ex laxato fomite¹ minitantur:

Arthritis (magni articulorum dolores,
feri artuum dolores, articularis morbus).
Muscularis morbus.

Tophicus morbus.²
Parte membrorum (omnibus membris)
captus sum.

Ex interclusione animae labore:³

Angustia spiritus (Angustus spiritus,
Anhelatio, Animae asperitas) me oppri-
mit.

Rheumatismus.
Coriza (Gravedo).⁴

Epistaxis. - Sanguis naribus manat (fluit).
- Naribus sanguinem emitto.

Catarrhus (Epiphora, Fluxio, Distillatio,
Rheuma⁵).

Branchus.⁶
Bronchiorum inflammatio (Bronchites).

Dyspnoea. - Anhelitus.⁷
Pneumonia. - Peripneumonia.

Haemoptoia (Haemoptysis).⁸
Phtisis.⁹ - In phtysim tabesco (phthisi-
cus iam sum).

Pleurisis (Pleuritis, itidis).

Tussis (aspera, violenta, effrenata, im-
moderata, immodica).

Tussim (Screatum) vix pectore expello.

(Ad proximum numerum).

I. F.

¹ Italice: *Malattie di rallentata nutrizione*.

² Hic si in pedibus podagra proprie nuncupatur;
si in manibus chiragra; gonagra, si in genibus.

³ Italice: *Sono malato nel sistema respiratorio*.

⁴ Est rheumatismus in capite, humor ex indigesta
concoctione in cerebrum ascendens congelatus.

⁵ Hac voce humorum descensio quaevis vulgo
indicatur.

⁶ Etiam branchia, est morbi genus, quum gutturis
arteria catarrho corripitur.

⁷ Ex dyspnoae, h. e. spiritus difficultatis vehe-
mentibus accessionibus, fit anhelitus, vulgo *asma*.

⁸ Sanguinis effusio per os.

⁹ Proprie pulmonis ulceratio, vel thoracis.

PRO IUNIORIBUS

Brevis inter sanctum Franciscum Xave-
rium cum Henrico Stanleyo collatio.¹

Omnis homines, quos identidem Deus
Ecclesiae concedit, divinae veluti caritatis
instinctu afflati, egregia facinora perficere
consueverunt. Amore enim petitur, quod
est in terris agendum, amore quaeritur,
amore demum revelatur. Uno verbo, ut
Augustinus scripsit: «Intellectum valde
ama!». Quam et nos, licet nimiis simus
curis detenti, illud eius insigne admodum
praeclarum admiramur: *Plus ultra, Do-
mine!* Hoc novae artis divinae fastigium,
aliaque tamquam bonorum operum inci-
tamenta, ex divini hominis latere, veluti
rivuli ex amni abundantissimo redundarunt.

Fuit ei quidem ab initio maledicta illa
tellus, quae spinas germinavit, et tribulos;
mens aerummis premebatur, morbis ure-
gebatur corpus, at nullum erat, sive ho-
minum invidia, sive ira daemonum, in-
vetum malum, nullus publicae privataeque
calamitatis casus, quae non ille evicisset
tolerando. Omnia virtutis specimina, quae
forti cogitatione non modo oculis nos con-
templari potuerimus, ille profecto susti-
nuit, et divini Magistri exemplo innixus, ut
suos ad imitandum traheret animo coluit.

Ad Indos itaque, suasore suae mentis
magistro, se contulit, ad quos paulo ante
appulerant Lusitani, suorum rege auctore,
ut illic merces commutarent, atque impe-
rium armis dilatarent. At noster, certus
cuilibet se obiectare periculo, quam vel
tantillum ab officio sacro recedere, sui
securus, per aequas et per iniquas Indor-
um regiones, ad extremos usque Asiae
fines perrupit, ut Christum illas gentes
doceret. Et laus sua est, singulare consilio

¹ Cfr. fasc. mens. Aprilis.

futura prospexit, illorum populorum
ingenia novisse, atque invicta fortitudine
temporum hominumque difficultates super-
rasse. Atque ideo brevi post tempore, chris-
tiana religio mirum in modum exulta
est, et multis late populis est dominata.

Interea, recenti famae rerum nuntio,
omnis Italia, omnis prope Europa percre-
bescere, et Ignatii alumnus, modo admodum
ignotus, per omnium hominum ora
volitare, et Romana Ecclesia, tot impro-
borum calumniis appetita, insignibus redi-
mita triumphis reviviscere; et si quando
humana deficiat, caelesti sic ope tueri, ut
constet inter omnes Ecclesiae incolumi-
tatem non mortalium viribus, non poten-
tiorum praesidio nisi.

Magna interdum, in omnibus pene Ita-
liae civitatibus, excitatur inter sacerdotes
aemulatio, Indias longinquas petere, rei
itaque sanctae ob exiguum opificum nume-
rum laboranti opem ferre, frequentiores
conversiones colere, et proprius clarissimi
Francisci vestigiis insistentes, maiores in
dies de hostibus victorias referre. Et quot-
quot eum sequi exoptant, mente atque
desiderio novas terras

Aut capere, aut captas despectare videntur.

Illa tempestate, Indiae apud nos idem
sonant atque regio in qua est christianis
maxima, ac commoda operandi occasio.

Sic, praeter omnium opinionem, Fran-
ciscus Xaverius, magnae animae prodigus,
paucis post annis, opitulante Deo, homines
ingenio, linguis, disciplinis, moribus dis-
sonos in unum consensum facile reduxit.
Et religio tam altis defixa fuit radicibus,
ut non impiorum voce, non minis, non
denique suppliciis per tot saecula potuerit
labefactari. Divina Francisci caritas non
modo apud Indos, sed mox apud Iaponios,
maiori studio eodemque acriori viguit.
Quot populi, quot nationes, quot etiam
reges, eius potissimum opera, in unum
veluti populum sub eius consilio coale-
vit.

runt! Eorum insuper pietas diu floruit, hodieque floreret, nisi rabidi serpentis morsus venenum suum inter illos effudisset. Quanti martyres, labentibus annis, ut adversus Christiani nominis osores fidem suam profiterentur, exstiterunt, qui mori potius elegerant, quam se christianos esse negarent! Nunc vero, dolendum sane, improba paganorum impietas, deleto quasi christianorum nomine, longe lateque inumeros eos populos obtinuit. At faxit Deus, ut, suffragante Francisco, antiqua Iaponensium et Indorum virtus aliquando enitescat, et fessis illis regionibus requiem curarum et laborum afferat. Sic, abdicatis erroribus, ad Christianam sapientiam iterum se conferent.

Noster vero multis laboribus confectus, vegeta adhuc aetate, in Sanciano, Sinarum insula, insigne admodum pietatis ac memorabile spectaculum, omnibus ignotus, placidissime obicit.

Ave, sanctae religionis nostrae testis, rector atque magister! Verum magnumque ornamentum patriae, magnum saeculo, magnum et Ecclesiae cum devotis suis sodalibus! Sequamur hunc nos principem, qui verbis factisque egregiis nos ad fidem invitat, atque ad Deum, qui est in caelis virtutis praemium, suavissime precatur:

Hoc agite, o iuvenes, circumspicit et stimulat nos Materiemque sibi Ducas indulgentia quaerit!

Iuvat eos denique memorare, nostris temporibus, dum vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostendunt, quanto sit prae ceteris laudabilis, illustrium virorum recordatio, qui, tot gestis ac virtutibus, patriam et christianorum nomen decorare consueverunt.

Quum ad finem festinanter pervenisset, omnes circum ovantes uno ore eum accepterunt. Est qui plurimarum rerum copiam laudat, qui suavem eloquii abundantiam atque maiestatem, omnes egregium sodalis obsequium in sanctum, cuius cognosc-

mento ego decoror. Universi adffirmant, nullum posse iustum discrimen inter utrumque componi, et primas facile Sanctum Franciscum in certamine referre. Et quam bene, exclamat, quam iucunde clauditur hoc festum! Sodali ergo nostro sit honor, Francisco Xaverio in saecula sit decus atque laudatio.

I. B. F.

ANNALES

Parisiense de pace concilium.

Italicis legatis Lutetiam Parisiorum reversis, die VII superioris mensis Maii Versaliensi in oppido pacis conditiones Germanicae legationi traditae sunt; eaeque per capita XIV distributae, quae brevi repetemus.

Pars prima est de pacto circa nationum Societatem, cuius hic finis enunciatur, nempe ut cooperatio inter nationes expediatur ad pacem in posterum firmandam; fundamentisque quae sequuntur innituntur: nonnullarum obligationum acceptio, inter quas ad arma per se nunquam recurrendi; internationalium commerciorum publica evolutio per iustitiam et honorem; internationalis iuris praescriptorum stricta obtemperatio; foederibus religiosum obsequium. A Germania vero, ut nationum foederi admittatur, peculiares cautiones requirendae erunt, praesertim circa vires armatae eius terra marique; quorum vim ipsa nationum societas definiet.

Pars II Germaniae fines circumscrifit ad Belgicam, Czeco-Slovachiam, Poloniam, Galliam, Daniam.

Pars III politicas clausulas continet, per quas Germania veteribus iuribus renuat, novaque recognoscet Belgarum, Luxemburgi, Galliae ad Rheni et Sarre fluminum cursum et in Alsatina Lotharingiaque regionibus. Praeterea et circa

Austriam-Teutonicam, quam suo iuri relinquet; et circa civitates Czeco-Slovakam Polonicamque, quarum fines se nunquam violaturam pollicebitur; et circa liberam Danzicae civitatem, quae inter fines Polonicae portoriae frontis erit; et Schleswig regionem, quae populisco de sua sorte constituet; et Heligoland, cuius arces et castra subvertentur; Russiam denique, cuius libertatem servabit totius territorii, quod erat ante foedus ad Brest-Litowsky a Germania initum, quod ideo irritum omnino habebit.

Pars IV iubet coloniarum, quae sub Germanica ditione fuissent, renunciacionem, itemque circa Germanici imperii iura in quavis orbis parte.

Pars V exercitum Germaniae interdit plus quam centum hominum millium; militum delectum resolvit, classem, submarinas naves et aeras ei prohibet.

Pars VI est de captivis, qui Germaniae cura et expensis in patriam quamprimum reducentur.

Pars VII belli auctores respicit, atque iudicia, quae de iis sumentur.

Pars VIII refectiones indicit damnorum, quae consociatae contra Teutones nationes ab iis passae sunt; restitutionemque imperat rerum, animalium et pecuniae, quae Germania in bello praedata fuit.

Reliquae partes sunt de rebus fiscalibus et oeconomicis, de portibus, viis aquaeis, de ferriviis, de operariis legibus, de aliisque clausulis, quarum una edicit foedus tum ratum futurum, quum hinc a Germania, inde a tribus a praecipuis consociatis nationibus fuerit subscriptum.

Mirum non est Germanos huiusmodi conditions aegerrime accepisse, pluresque eorum hortari propositae isti paci haud esse assentiendum. Certe Germanica legatio contra traditas pactiones plures oblitus animadversiones, quas nunc Parisiense concilium ad trutinam vocat; breve cognoscemus utrum malum deligant

Germani, consignare an reicere gravem ipsis impositam pacem.

Interim Austriacorum legatio ad oppidum Sancti Germani pervenit, ibique expectat dum vicissim sibi pacis propositum foedus concedatur.

De Italicis rebus denique nil certi adhuc.

* * *

Civile bellum apud Teutones atque Russos.

Quum Budapestini consiliorum, quae nuncupatur, res publica in eo esse videbatur, ut prorsus everteretur, quemadmodum in Bavaria factum est, Bela ille Kun ex adverso eam iterum solidare valuit. Quamquam eius horae iam annumerari posse dictantur, Rumenorum praesertim opera, qui ordinis per vim instaurandi mandato sibi assumpto, magnis itineribus in Hungariam contendunt. Neque in meliori discriminé esse feruntur Russiae illi *bolsceviki*, qui cum viris Russicæ civitatis instaurationem sibi proponentibus acriter decertant. Premuntur enim ad septem triones a sociatarum nationum copiis, ab Aestonibus et Finlandesibus ad occidentem solem, a Koltciak navarcha et a Denikine, supremo civilis exercitus duce, ad orientem ac meridiem. Plures urbes, inter quas Riga, iam sunt ab illorum pessima servitute vindicatae, iamque Petropolis urbis deditio nunciatur. Quinimo Koltciak navarcha dicitur tamquam Russici gubernij procurator a Parisiensi concilio brevi iri recognitum.

* * *

Clari hospites Romae.

Claros hospites Romae recens vidit dignaque accepit, Aemyrum scilicet Feysal, Hediaz regis filium, et Epitacum Pessoa, Brasiliensis reipublicae Praesidem electum. Uterque Supremum Pontificem quoque adivit, alter obsequii causa, alter ut

civitatis suae diligentiam erga Catholicam Ecclesiam confirmaret, fulcimen - ut optime is declaravit - ordinis, concordiae, magna cultus intellectualis atque civilis. Quod felix, bonum, faustumque sit.

Kal. Iunii MCMXIX.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Gratiae profecto sociis illis sollertissimis per me proferendae sunt, qui labores meos miserati, haud mediocre auxilium rubricae huic componendae ultero mihi praebere pro sua humanitate voluerunt. Addere enim iis quae in superiore fasciculo exhibui, hodie licet frustulum aliud, idque dulce quidem; agitur namque **de venatione e saccaro** Romae quondam exhibita; quondam, ecasor!; nam saccarum nostris diebus, ut omnes norunt, *rara avis* factum est.

Refert Vincentius Guinisius (*Allocut. Gymn.*, 5) - ita Arrigus Pérez, *Almae Romae* socius ex Hispania ad me scribebat - Romae sub saeculi xvii exordium, magnorum procerum quemdam venationem prorsus dulcissimam magnifico spectaculo exhibuisse. Is enim (ut verbis eius utar) invisenti se honoris gratia, uti fit, viro principi eiusque assetatoribus, in aperta ac subdiali magnifica domus parte, qua transeundum erat, venationem plane exhibuit theatram. Nam surgentem e solo sublimius, eaque spatia occupantem excitatavit silvam e saccaro vere ceduum. In ea feras, canes, venatores ad iustum omnes magnitudinem, ex eadem nimirum argilla conformavit, tam abrogante miraculo veritati fidem, ut nemo quod res erat, animadverteret; ac, libera solum oculis silva, praeterirent omnes: donec auctor spectaculi princeps, ne silentio tegeret, perdetque magnificentiam ipse suam, sensim accessit, avulsamque unius e fictitiis catulis auriculam ori, consultus quidem, sed dissimulanter admovit. Ingressi sunt illico negotium qui aderant: et, tamquam signo

dato, veri homines in fictas feras insiliunt, venationem utique perturbant, diripiunt, ac ne ipsis venatoribus parcunt: saxa mento, vepres, arbusta convellunt, magna virorum principum, sed maiore aulicorum voluptate; qui, quum onusti iam praeda discederent, profitebantur in eo domestico nemore omnia mansueta, ac ne silvam quidem fuisse silvestrem: certe nunquam se dulcior ante suaviusque venatos».

Ecquid dubii? Concedimus, imo effuse plaudimus.

*

Quamquam nostra aetate, nedum sacrae caritate, sed ipso naturali, qui factus est, instinctu, aliis spectaculis commovemur. Undenam enim cum illa mirifica venatione recentiora inventa comparabis? Quorum nuperrima **Musica et Lux absque filis** per orbem quocumque transmissa nunciantur. Scilicet Loe de Forest, vir americanus ex Gallia oriundus, orationem habuit, in qua tuto asseruit sibi licere per ingentia spatia absque ullo transmissionis filo concentus delueide vulgare plenissimae symphoniae. Neque fides neganda est auctori, qui abhinc annos duos machinam protulit a se fabricatam - (*audion ei nomen indidit*) - qua, nullo filorum usu, colloquia inter Neoeboracum et Lutetiam Parisorum sunt instituta.

Verum huiusmodi inventio locum cedet luci absque tubulis, absque filis, quin etiam sine lychnis factae, quae iam inter *radii*, miracula numeratur. Quum vero radium perrarum sit, ideoque maximo pretio ematur, en ad pericula chemici, ut medium illuminans alterum inveniant, quod radio sufficient, iamque in eo se esse profitentur, ut optatum finem assequuntur sint. Qui viserit igitur videbit, nosque in horum numero fore spe ducimur.

*

Ne vero nimis nobis illudamus, praestosit haec inscriptio, quam prope Augustam Taurinorum anaporico horologio apposita, iuxta horarum ambitum, nuper legi:

VULNERANT OMNES
ULTIMA NECAT

O quanta humanarum rerum scientia paucis illis verbis continetur!

*

Icosa.

Tuccius diurnos quosdam commentarios legit:

— Quam incompta sunt haec nostra diaria! Quae viros illustres celebrant quum e vita exeunt; nunquam vero quum vitam ingrediuntur!...

Numerorum disciplina tetrica omnino Tuccio nostro est. A quo frustra magister responsum exspectat rogationi:

— Bis bina quot sunt?

Instat igitur infelix institutor:

— Eia, Tucci: si binis bina addideris... Necquidquam; Tuccius tacet.

Alter extrema tentatur:

— Rem exemplo patet facere conemur. Si tu et frater tuus una colluditis, nonne bini colludentes estis?

— Bini equidem.

— Atqui, ad lusum si binos alios pueros invitaveris...

— Vah! Mater enim omnino vetat. Ait namque nimium iam esse strepitum, quem ego fraterque meus domi agitamus.

*

Aenigmata.

I.

Est nota primum musices;
Cruentant semper altera;
Totum docet, exhilarat.

II

Vox eadem signo parvamque pigramque vo-

[lucrem,

Quae mellis cumulos depopulatur apum.
Vox eadem signo pigmentum muricis instar,
Quod decus et vetulae dat iuvenile genae.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposta his respondent: 1] vulgo *Rebus: Regnum divisum desolabitur*; 2] *Fa-r*).
IOSFOR.

LIBRORUM RECENSIO

Henricus Prat de la Riba. Memores versus compositi a Ios. FONTS presb., lic. theol. et in Seminario Vicensi (Vich) humaniorum litterarum professore. — Vici, typ. Balmesiana, 1918 (In 8°, pag. 32).

Auctor, aliis iam notus carminibus latinis, hoc in libello versibus heroicis paeclaris celebret gesta mortemque immaturum sui herois Henrici; viri quidem de urbe Barcinone deque omni Regione Catalana meritissimi. Qui nobilitatus genere, et virtute quavis civili, quandoque longe praestat, christianis moribus conspicuus, civibus suis apprime carus exstitit, cum ob eximium ipsius in linguam gentemque Catalanam amorem, tum ob egregia, quae Barcinone condidit, opera ac monumenta; gymnasia nempe et scholas ad varias discendas artes, musea et bibliothecas. Iuris optime peritus et causarum patrocinator, mature cooptatus fuit inter legiferos curatores Provinciae, mox etiam in ipsis Curiae praesidem. Moriens, apud conterraneos perque omnem Cataloniae immensum vivaxque sui desiderium reliquit. Haec omnia quum graphicè descripsisset versus hispanicis Thomas Garrido, sacerdos ex Ordine Scholarum Piarum, eadem latinis hexametris feliciter reddidit Iosephus Fonts. Hoc e carmine primos tantum et postremos exscribo versiculos, de quorum concinnitate ipse lector iudicabit:

Plora, Musa, Duce, Catalanae nomine clarum Legiferum gentis, Patriae columenque decusque; qai, propria aetatis florem pae morte profundens, caelica, pace Dei fruiturus, regna petivit.

En vero quomodo, funebri pompa descripta, perennis praecinitur memoria, quam apud Barcinonenses defunctus heros sibi vindicavit:

Vidimus innumeras feretro pendere coronas et dare confertis calathis puerilia flores agmina . . . laurisque Sepulcrum, ad tua busta sedens, decorabit Barcino semper, Oceanus magnam dum fluctibus ambiat urbem, oscula dum tepidis diffundat moenibus Auster. Aeterna faustae captus dulcedine vitae, tu requiesce plus claro cum praesule Torras, claro cum nostro Maragallo vate, perenni laetitiae indulgens; celso; ue e vertice caeli imple fortuna Patriam, virtutibus urbem, saecula virgineis poscentibus aurea Musis.

FRANC. XAV. REUSS.

(13)

AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

Fuit quis nostrae vitae sollicitior?..
 Quis nos et melius duxit ad tramitem?
 Cuius sub ductu dimicare dulciss.
 Et multas palmas reportare meritis.
 Pater, te nostri fore dicis memorem,
 Precari... gratias magno pro munere.
 Manere scito nos in Purgatorio,
 In quo nos criminum maculas lava-

[bimus.]

Poenam feremus alacres pro sceler,
 Tuoque imperio vivemus purius.
 Ehu! solaturus veni nos in posterum!
 Enim salus nobis tua est praesentia.
 Refers tu matrem dulcis quae nos
 [deperit,
 Et patrem... lacrimae nimiae me suf-
 focant.
 Eia, sodales, provolvemus supplices,
 Eiusque unanimes amplexemur pedes.

OMNES canunt:

Oh! dies nobis memoranda semper
 Qua recordemur tua verba cordis!
 Nos tuo ductu ferimus parata
 Pondera vitae.
 Saeculi nostri decus atque virtus!
 Haec domus poenae memorabit usque
 Verba captivis puerisque sanctae
 Plena salutis.

Nos pius tractas teneraque cura,
 Saucias culpis animas mederis,
 Nosque deducis placide beatos
 Visere sedes...

Posteri laudent hominem peritum!
 Arte nos diva indomitos domasse,
 Perditos sanctos docuisse mores
 Mente quieta....

RECT. Quoniam sic felix nostra res clauditur,
 Meum, pater, est ferre tibi gratias,
 Deoque multas amplis pro muneribus.

AMBR. Magnas et gratias refert Ambrosius,
 Suas quousque dum qui fert auriculas,
 Sciet quod tandem siant exercitia.

Novit quam bene, quam pulchre, quam
 [(suggere!...)]

IOANNES Scio quid noster Ambrosius diceret,
 Sua si aetate comprehendisset lit-

[teras.]

Enim qui studiis pollut et ingenio
 Non decuriones simplices sunt mi-
 [tum,
 Duces supremi.... Noster sic Am-
 brosius Renascens militum duxerit copias.
 Cum nunc ad ianuam... sit bonus

[ianitor,

Repellat mortem hinc et omne no-
 [xium,
 Queat quod auspicor tenere certius.
 Meum libenter accipe hoc munu-

[sculum....]

Rector, honoris illico ad fastidium
 Quod est in votis obtinebis optime.
 Et vos valete, iuvenes, quos diligo,
 Manete fortes in divina gratia!
 Erunt sic ipsa vincula levissima;
 Ad libertatem ducet vos quantocius
 Deus, quod postulo defixus precibus.
 Vestris estote vos magistris subditi,
 Fuijstis ut mihi istoc brevi tempore....
 Et in hoc sancto firmet vos propo-

[sito,

Dei quam facio fidens adprecatio!
 AMBR. Quoniam sunt omnes functi suo mu-

[nere....]

PUERI. Tulit de nobis Pater et victoriam,
 RECT. Honos meus stat et crescat....

OMNES Plausum date.

FINIS.

¹ Munusculum offert Ambrosio.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.